

PARA LA HISTORIA DEL DERECHO ECLESIAÍSTICO VALENTINO

II *

Sucedió a Jasperto de Botonach en la silla episcopal de Valencia el dominico Fr. Ramón Despont (de Ponte, en algunas escrituras latinas), el cual era natural de Fraga, villa aragonesa. Fué una gran figura como estadista, teólogo, jurista y canonista, y demuestra su valía la influencia que tuvo en la Curia Romana y en las Cortes de los Reyes. Hizo muchas fundaciones piadosas y benéficas, entre estas últimas la Almoyna, institución que mantiene cierto número de pobres. Gobernó la Iglesia valentina desde 1288 hasta 1312, y celebró dos sínodos, cuyas constituciones se conservan todavía inéditas, y son las siguientes:

INCIPIUNT CONSTITUTIONES SYNODALES DOMINI RAYMUNDI DE PONTE, EPISCOPI VALENTINI.

Anno Domini MCCXCVI, decimo quarto kalendas octobris, Nos Raymundus, divina miseratione Valentinus episcopus, in Ecclesia Valentina synodum celebrantes de consilio et assensu Capituli Valentini sacra synodo approbante, tractatum sacramentorum edidimus cum constitutionibus quae sequuntur. Volentes et mandantes, quod quilibet rector vel vicarius perpetuus tam tractatum praedictum, quam etiam constitutiones praemissas habeat in ecclesia sua infra mensem, ut iuvante Domino Jesu Christo cum ipsis se possint regere, et animabus gregis comissi iuste valeant providere. Quicumque vero infra dictum mensem ipsa non habuerint, penam viginti solidorum incurrant, operi ecclesiae Valentinae applicandam.

I. — *Tractatus de Sacramentis.* — Quia ubi fundamentum non est, utiliter super edificari non potest. Idcirco cum de sacramentis ecclesiasticis in constitutionibus synodalibus ecclesiae Valentinae nihil fuerit constitutum, quae sunt nostrae fidei fundamentum, Nos Raymundus, miseratione divina Valentinus episcopus, de sacramentis ecclesiasticis aliqua, licet pauca, inserere volumus in eisdem.

* Cfr. *Analecta Sacra Torr.* 9(1833)137-147.

2. — *De baptismo.* — Et quia baptismus est ianua omnium sacramentorum, et etiam fundamentum, ideo de ipso tractare volumus in praesenti. Unde Augustinus firmissime tenet, non solum homines ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt et ibi moriuntur, sive iam de matribus nati sine sacramento baptismi, quod datur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ex hoc saeculo transierint sempiterno igne puniendos, quia, etsi proprie actionis nullam habent, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione ex nativitate traxerunt.

Forma autem vero baptismi haec est, et statuimus quod, sive sit pater, vel mater, seu alius quicumque hanc formam debeat observare, videlicet, ut infantem ter immergendo in aqua dicat: *Petre, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, amen.* Item statuimus, quod baptismus solum in aqua, non in alio liquore, fiat, et si ita parum de aqua fuerit vel baptizandus taliter infirmetur, quod immergi non possit, sufficit, quod aqua super baptizandum in tali necessitate effundatur. Quod autem dicitur, quod mulier baptizare potest, verum est, necessitate cogente, unde illud in Concilio Cartaginensi quinto: mulier quamvis docta, et sancta, viros in conventu docere, vel aliquos baptizare non praesumat, nisi necessitate cogente. Item Augustinus ad Fortunatum; in necessitate, cum episcopi aut praesbiteri aut quilibet ministrorum non invenitur, urgente periculo eius qui petit, ne sine iusto sacramento hanc vitam finiat, etiam laycos solere dare sacramentum quod acceperunt solemus audire.

Item statuimus quod si infans in necessitate taliter a layco baptizatus supervixerit, presbitero quam citius fieri poterit praesentetur. Et si formam praedictam invenerit non fuisse servatam, faciat cathesimum et baptizet eum secundum formam Ecclesiae. Si autem dubitetur, an legitime fuerit baptizatus, quia forte baptizans non recordatur ad plenum de verbis in baptismo prolatis, vel de circumstantiis discordant, vel forte infans expositus est iuxta ecclesiam, vel alibi, nec habetur signum utrum sit baptizatus vel non, in hiis casibus faciat sacerdos cathesimum. Nam ex Decreto Celestini papae, sive parvuli, sive iuvenes ad regenerationis veniunt sacramentum non prius fontem vitae adeant quam exorcismis et exsufflationibus cunctorum spiritus immundus ab eis abigatur et baptizet eum sub hiis verbis: *Si baptizatus es non te baptizo, et si baptizatus non es ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti amen.* In tali etiam dubio utatur unius testimonio, si plures habere non possint, et si sic baptizatus vixerit, sacerdos in eo supleat quod extra formam fuerat praetermissum.

Prohibemus etiam districte ne persona religiosa vel aliqua excommunicationis, vel interdicti sententia ligata, vel qui non est baptizatus ad patrinum admittatur. Item permittimus, quod in cathecismo unus patrinus et alius in baptismo aliusque in confirmatione, in fronte quae tantum fit per episcopum, admittatur. Et si plures in cathecismo, et baptismo scienter se ingesserint exceptis duabus commatibus quas permittimus ibidem admitti praeter licentiam nostram, vel officialis nostri, ipso facto excommunicationis sententia sint ligati. Item si dum mulier in parto laboraberit infans extra ventrem matris caput tamen emisit et in tanto periculo infans positus nasci nequiverit, infundat aliquis de obstetricibus aquam super caput infantis dicens: *ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, amen*, et erit baptizatus, secus de aliis membris duximus statuendum.

3. — *Ut fontes mundi teneantur.* — Districte etiam percipimus quod fontes cooperti, mundi et nitidi teneantur, statuentes ut singulis annis in hebdomada sancta presbiteri parochialium ecclesiarum per se ipsos, vel subdiaconos, vel diaconos, vel clericos chrisma novum et oleum a nobis vel a sacrista Valentino suscipiant, vetus chrisma et oleum effundant in fontes ecclesiae baptismales. Ampullas etiam suas diligenter abluant in eisdem, et cum omni reverentia et honore dictum chrisma et oleum suscipiant et ipsa custodiant prout decet.

4. — *Quid fiendum sit de capitibus baptizatorum.* — Capitas autem quas a baptizatis clericus percipiet easdem prohibitis profanis ussibus ad ecclesiarum ussibus debeat conservare, nec eas aliis baptizandis valeat vendere, sed pauperibus possit gratanter easdem tradere ad serviendum eisdem in baptismo sine omni pretii dationi. Qui vero contrarium fecerit, ipso facto poenam quinque solidorum incurrat. Et quicumque hoc sciverit, et episcopo, vel eius officiali, quam cito fuerit opportunum, non denuntiaverit, consimilem poenam solvere teneatur, utramque vero poenam operi sedis valentinae statuimus applicandam. Rectores etiam ecclesiarum capitas quae ad eorum ecclesias offerentur, ab ipsis ecclesiis abstrahi non permittant per laicos pertractandas.

5. — *Qualis debeat esse confessio.* — Item quia paenitentia est secunda tabula post naufragium. Ideo de ipsa duximus aliquid inserendum. Et primo qualis debeat esse confessio. Dicitur autem confessio secundum auctoritatem sanctorum Patrum tractam de novo et veteri Testamento. Simplex ut accuset se confitens et non alium. Nec nominatim etiam tenetur exprimere personam cum qua

peccavit. Nec sacerdos quaerere, nisi peccati circumstantia talis sit, quod aliter non possit confiteri peccatum, ut si cognovit matrem, filiam vel sororem, vel huiusmodi, quia non posset se ipsum aliter liberare, unde illud, *non declines cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis*¹. Humilis, unde publicanus non audebat oculos ad coelum levare, sed semper percutiebat pectus suum prostratus in terra dicens: *Propitius esto mihi peccatori*². Pura, scilicet, pura intentione, sine hypocrisi, unde dicitur in Isaia: *et timore tuo Domine concepimus et peperimus spiritum salutis*³. Fidelis sub spe veniae non ut Judas, qui ait: *Peccavi tradens sanguinem iustum*⁴, et postea abiit, et laqueo se suspendit. Vera nihil admiscens falsitatis, nihil mendatii, nihil fictum. Frequens, unde Gregorius: Quanto frequentius confiteris tu spe veniae, tanto facilius consequeris veniam culpae. Voluntaria, non coacta, ut confessio Achaz, sed spontanea, ut confessio Latronis in cruce. Muda, unde Hieronimus, non est qui agat poenitentiam super peccata sua et dicat, quid fecit. Discreta, Augustinus, sacerdotem quaeras qui sciat te ligare et solvere. Integra, Augustinus: caveas, ne verecundia dividas confessionem. Secreta, Johannes Crisostomus: non dico tibi ut prodas te in publicum. Lacrimabilis, unde illud: rugiebam a gemitu cordis mei. Accelerata, unde Ecclesiasticus: Non tardes converti ad Dominum; Augustinus: Nullus expectet quo usque peccare non potest. Fortis ut Magdalena quae vicit pudorem; Hieronimus: Timor Domini omnem vicit timorem. Accusans, unde in parabolis: Iustus in principio accusator est sui. Obediens, Augustinus: Fac omnia pro accipienda vita animae, qui facere pro vitanda corporis morte, unde versus: sit simplex, humilis, confessio, pura, fidelis, vera, frequens, muda, discreta, libens, verecunda, integra, secreta, lacrimabilis, accelerata, fortis et accusans, et se punire parata. Te pudor emendet confessio maior abundet.

6. — *De poenitentia.* — Poenitentia, ut ait namque Ambrosius, est: praeterita mala plangere, et plangenda iterum non committere. Omnis autem vere poenitens debet habere dolorem de peccatis commissis, et voluntatem et propositum iterum, non peccandi. Sunt autem tria in vera poenitentia principaliter necessaria, scilicet, cordis contritio, oris confessio si confitens potest loqui, et operis satisfactio. Alioquin non est vera poenitentia sed simulata potius, atque ficta. Confessio vera, est coram sacerdote vera declaratio seu revelatio peccatorum. Et quia post lapsum peccati necessaria est vera poenitentia ad salutem, statutum est in Concilio generali, quod omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis per-

veniat omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti. Et iniuncta sibi poenitentia propriis viribus studeat adimplere. Suscipiensque reverenter, ad minus in Pascha, poenitentiae sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum. Alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicatur, nequisquam ex ignorantiae cecitate velamen executionis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ipse illum non possit solvere vel ligare. Sacerdos autem sit discretus et cautus ut more periti medici super effundat vinum et oleum vulneribus sautiati diligenter inquirens peccatoris circumstantias, et peccati quibus prudenter intelligat quale ei praebere debeat consilium, et cuiusmodi remedium adhibere diversis experimentis utendo ad sanandum aegrotum. Caveat autem omnino ne verbo, aut signo, aut quovis modo prodat aliquatenus peccatorem. Sed si prudentiori consilio indigerit illud absque ulla expressione personae caute requirat, quoniam qui peccatum in poenitentiali iudicio sibi decretum praesumpserit revelare non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum et ad agendam poenitentiam perpetuam in arctum monasterium detrudendum.

7. — *Quod qui voluerit confiteri alieno sacerdoti hoc faciat de licentia sui curati.* — Si quis autem clericus, vel laicus alieno sacerdoti iusta de causa sua voluerit confiteri peccata, licentiam postulet, ut supra dictum est, et obtineat a suo proprio sacerdote, praecipiens districte, ne aliquis praesbiter super hoc requisitus praesumat alicui malitiose licentiam huiusmodi denegare. Notandum tamen est quod in quinque casibus sine licentia proprii sacerdotis potest aliquis alieno sacerdoti confiteri. Primus est cum episcopus alicui delegavit. Secundus cum quis peccat in aliena parochia, et de illo peccato sacerdoti illius parochiae confitetur. Tertius est, si causa domicilii se duxerit ad aliam parochiam transferendum. Quartus cum est vagabundus. Quintus cum imminet periculum mortis et non potest habere proprium sacerdotem, in quo casu potest etiam layco confiteri. Unde quia valde periculosum est moram facere in peccato, praecipimus, quod parochiales praesbiteri frequenter plebes suas moneant, ut ad confessionem veniant quam cito potuerint confiteri commissum peccatum, et hoc propter incertitudinem horae mortis. Item, qui in extrema aegritudine vix potest aliquis de peccatis cogitare nec etiam poenitere, quia, ut ait

Hieronymus, cum aegritudine opprimeris, vix aliud potes cogitare, quam sentis, et illuc rapitur intentio mentis ubi est vis doloris. Item non debet confiteri per nuntium, neque per scripturam, sed viva voce, ore proprio, et praesentialiter; ut qui per se peccavit, per se ipsum confiteatur. Item non debet confiteri verbis, vel nominibus peccatorum seu criminum paliatis, sed quodlibet peccatum suo proprio nomine, quantumcumque turpe exprimat, et etiam circumstantias quantumcumque turpes sint, ut sic tota fomes peccati expellatur.

8. — *De distinctione peccatorum.* — Debet etiam confiteri singula peccata quae quis commisit distincte et separatim, non confuse, nec etiam per transcursum. Si quis vero confitentium caeci, surdi vel muti fuerint, inducat eos praesbiter, prout melius poterit, ad contritionem verbis, nutibus atque signis.

9. — *De illis qui audiunt poenitentiam in quo loco debeant sedere.* — Item statuimus, quod illi qui confessiones audiunt in loco competenti, alias patenti audiant confessiones, seu confitentes, non in occulto, et praecipue si fuerint mulieres, habeat ergo praesbiter sollicitudinem diligentem, ne dum audit confessionem in facie confitentium recipiat praecipue mulierem, sed si capam indutam teneat, capucium indutum habeat capite etiam inclinato. Et si peccatum horribile intellexerit non respuat, non faciem avertat, neque caput, neque retorqueat se huc, vel illuc, aut signum aliquod faciat, neque nutum, sed neque aliquod verbum proferat propter quod abominari peccatorem, vel peccatorum videatur, ne peccator rubore seu verecundia confusus peccata reliqua vel similia sibi timeat revelare.

10. — *Quod sacerdos non audiat confessionem nisi sui parochiani.* — Item statuimus, quod quantumcumque peccator ad sacerdotem venerit causa sua peccata confitendi, primo quaerat sacerdos unde sit, hoc est verum sit parochianus eius, et si dixerit, quod non, quaerat ab eo utrum venerit de licentia proprii sacerdotis, et si responderit non, remittat ipsum ad proprium sacerdotem, quia non potest ipsum solvere, vel ligare, nisi necessitate cogente. Si autem sit parochianus eiusdem, vel venerit de licentia proprii sacerdotis, et si respondeat ita, quaerat primo ab ipso, utrum sit excommunicatus, vel interdictus, et si dixerit quod sic, non audiat ipsum donec fuerit absolutus. Si autem dixerit se non esse excommunicatum vel interdictum, potest ipsum interrogare primo de sacramentis Ecclesiae, et symbolo, et oratione dominica, et de fide. Deinde moneat eum familiariter et benigne ut

omnia peccata sua confiteatur humiliter, familiariter et benigne, ne ob verecundiam vel timorem celet peccata, quia non homini locuturus, sed Deo cuius personam ipse praesbiter representat, qui non vult mortis peccatoris, sed ut convertatur et vivat, dicendo ei etiam quod ipse sacerdos peccator est, et quia ipse confitens tot et tanta commisisse peccata quin et alii quam plura et maiora commiserint. Et quod illi qui bene poenitent magis diligenter a Deo, sicut patet in beato Petro et Paulo, et Latrone, et Maria Magdalena. Et quod tota curia caelestis gaudet de poenitentiam agente. Item quod homines sumus et sine peccato esse non possumus, si vere confessus fueris, et contritus et proponis amplius non peccare, Dominus sine dubio remittet tibi culpam. Et ego te auctoritate Dei absolvam a poena si volueris confiteri in hac vita; confiteberis in alia invitus, in conspectu Angelorum, amicorum et inimicorum damnaberis in perpetuum.

11. — *Quod sacerdos interroget diligenter confitentem.* — Item audita illius confessione diligenter, et frequenter interrogato si alia volebat confiteri peccata, sollicitet eum, ut cogitet ne peccatum aliquod studiose praetermittat, quia si dimidiaret confessionem dividendo peccata inter diversos sacerdotes, vel celando aut omitendo scienter aliquod mortale peccatum, sibi talis poenitentia vel confessio non prodesset. Et si dixerit se non habere alia confiteri, incipiat sacerdos interrogare de circumstantiis ordinate et discrete confitentem, ita quod in circumstantiis quaerendis ad peccata specialia, vel speciales circumstantias non descendat, quia multi forte post multas interrogationes peccarent in his quae nescirent alias cogitare. Nam increpando sacerdos culpam detegit, quam saepe nescit etiam ipse qui perpetravit. Interrogetur etiam peccator qua tentatione inductus fuerit ad peccandum, et si ipse praevenit tentationem an fuerit praeventus ab ipsa, et si ipse tentationem habuerit potest quaeri si tentationem resistit, et qualiter, et sic directe forte poenitens aperiet peccatum suum, quod celabat.

12. — *Quod sacerdos interroget confitentem de conditione et statu.* — Item debet interrogare peccatorem cuius conditionis existat, et cuius status sit. Et si dicat, quod sit miles simplex, debet ipsum interrogare de rapina, quam tales facere consueverunt. Nam tales milites non consueverunt esse contenti stipendiis suis, secundum sententiam sancti Johannis Baptistae dicentis, neminem conculcatis, neque calumnia faciatis, state contenti stipendiis vestris. Peccant etiam quia quandoque impugnant propriam patriam, et non servant fidem proprio domino. Peccant etiam, quia sunt valde incontinentes, super hiis ergo debent interrogari, et ipsi talia

confiteri, et reddere aliena et per veracem poenitentiam super hiis satisfacere Creatori, si nolunt cum diabolo perpetuo cruciari.

13. — *Quod sacerdos interroget mercatores diligenter et barones cum sequentibus.* — Si vero fuerint barones debent interrogari super remuneratione, concussionibus, rapina, homicidio in bellis iniustis et alias commisso. Et ipsi debent similia talia et alia confiteri suo proprio sacerdoti.

14. — *De mercatoribus interrogandis.* — Si vero fuerint mercatores qui debent confiteri suo proprio sacerdoti, dum sunt in patria unde ipsi sunt, vel alteri de eius licentia, petant specialiter mercatores quia sub specie liberalitatis palliant usurariam pravitatem, scilicet, vendendo merces suas vel pannos sub expectatione longe maiori pretio quam valeant, nec alias venderent si solveretur eius pecuniam in praesenti. Item dant pecuniam propriam sub quantitate augmenti quod est contra sacrorum canonum instituta. Item inveniunt diversas vias ad pravitatem usurariam palliandam, quod est contra illud: si plus accepisti a debitore, quam dedisti, quidquid illud sit et quodcumque ei nomen imponas, usura est. Item emunt vilius et vendunt carius, turpe lucrum est si specie non mutata vendunt. Dicit enim canon, quod inter ementis vendentisque commercium difficile est non intervenire peccatum. Alii autem similiter mecanici decipiunt in suis mercationibus et venditionibus propter quod peccant mortaliter, quia etiam vendunt hospitibus et transeuntibus carius quam vicinis. Habent etiam falsa pondera et mensuras falsas, et in eo debent poenitere quadraginta dies in pane et aqua. De talibus et consimilibus debent presbyteri eos interrogare, et eis poenitentiam iniungere, et ipsi humiliter recipere, si nolunt cum diabolo cruciari perpetuo. Rustici populares, aratores, pastinatores et fossores agrorum in eo principaliter peccant, quod non solverunt decimas et primicias. Et ideo super hiis interrogati habent autem tales securiorem vitam, quia minus peccant propter continuum laborem, quia non ita ad cogitationes pessimas convertuntur, ut faciunt alii divites, delicati, iuxta illud sapientis, unde versus: Divitiis uti res est adversa saluti. Peccant autem in homicidiis et in periuriis, in fornicationibus, in odio et in damnis quae sibi dantur in agris, et consimilibus debet sacerdos in genere interrogare, ipsi poenitentiam agere cum Deo.

15. — *Quod pueri debent confiteri.* — Pueri etiam doli capaces tenentur confiteri, et isti tales possunt puniri a sacerdote, sed non tantum, quantum si essent adulti, tales etiam peccant in sacrilegio, possunt tamen absolvi a proprio Episcopo. Committunt etiam cri-

men furti, et periurii possunt etiam incurrere crimen contra patronum. Tales etiam possunt incurrere crimen calumpniantium, quoniam dicitur, quod audacia impuberum calumpniantium refferenda est. Potest puer etiam peccare in genitalibus, quia quandoque tale vitium anticipat etatem. Reffert enim beatus Gregorius in *Dialogo*, quod quidam gravidavit nutricem in nono anno.

16. — *Quod prelatus confiteatur suo superiori, vel eligat confessorem auctoritate sua.* — Prelatus suo debet confiteri superiori, episcopi tamen, et alii superiores, ac etiam minores prelati exempti, preter sui superioris licentiam providum et discretum possunt sibi eligere confessorem. Prelati autem inferiores et alii sacerdotes, suo prelato, vel sibi invicem de licentia prelati confiteantur, vel episcopo si nolunt. Et licet tanta sit malitia clericorum, presertim presbiterorum, qui vix possunt sub numero comprehendi, pauca tamen, ne descriptionem facere videamur, sub breviliquo, scilicet, genera singulorum et non singula generum ad eorum correctionem, et cautelam ad memoriam perstringemur. *Primo*, peccare consueverunt, quia permittunt se indignos ad ecclesiasticam militiam promovemi. *Secundo*, quia promoventur aliquando per symoniacam pravitatem. *Tertio*, quia aliqui ex eis incontinenter vivunt. *Quarto*, quia inmiscent se spectaculis, et pompis mulierum, et recipiunt munera pro penitentiis, et sacramentis spiritualibus ministrandis, et incumbunt usuris. Et emunt largius ut carius vendant, et plus diligunt comas laycorum, quam coronas clericorum. Et inmiscent se miserationibus. Et frequentant domicilia mulierum, viduarum et aliarum, habent etiam secum mulierum personas a canone interdictas. Frequentant tabernas, quod non licet nisi in itinere constitutis, et tunc propter necessitatem, non ad delectationem. Ludunt etiam ad aleas et taxillos, habent habitum indecentem, et nolunt divina officia frequentare. Diligent venationes silvaticas et saltuosas, et dant libentius venatori, meretrici vel ioculatori quam pauperi de patrimonio Jesu Christi, seu Crucifixi in periculo animarum suarum et in scandalum plurimorum, contra ecclesiasticas sanctiones. *Quintum* vitium est quia aliquando prelati invadent suis subditis, et subditi prelato, et desertant ad invicem ut puniantur, cum debuissent se ad invicem diligere, ut inter prelatos et subditos fieret comprehensio charitatis. Item, subtrahunt alienos parrochianos, tam vivos quam mortuos, et in hoc graviter offendunt. *Sextum* vitium est, quia multa vitia palliant sub specie virtutis, nam cum et sint avari, quod est vitium, volunt videri temperati, quod est virtus. Et cum sint crueles, quod est vitium, volunt videri tamquam providi iustitie ze-

latores. Et cum sint remissi, quod est vitium, volunt videri compatiētes subditis, quod est sanctitas in prelatīs. **Sep t e n i u m** vitium est quod ipsi subditi ad invicem se habent odio, et ad invicem se consumunt, et ideo homicide sunt et deteriores latronibus. **O c t a v u m** vitium est, ut possunt revelare odia, quia sunt fallaces, et valde inconstantes proferentes verba inutilia, et inhonesta, cum illud quod habent in mente sua debeant proferre in mente mera, nam inter iuramentum et simplicem loquelam non facit Deus . . . dicitur etiam quod non sunt filii diaboli, sunt qui peccant in berris fallacibus, sed etiam in operibus simulatis. Item quotiens loquimur, aut non opportuno tempore, aut cum non convenit audientibus totiens peccamus. **N o n u m** vitium est, quia peccant in sacrificiis cum offerunt hostiam fractam, vel vinum sine aqua; vel aquam sine vino, celebrantes bis in die, vel non custodiunt chrisma, vel Eucharistiam, sicut debent, vel non mundant vasa, et altaria, vel vestimenta secundum canonum instituta. **D e c i m u m** vitium est, quia subvertunt [t] populum, et in omni loco, ut testatur Hieronimus, ponentes scandalum vertuntur in laqueum tortuosum, hec ergo, et similia, ut de aliis taceamus, debent clerici confiteri, et a talibus de cetero cavere et per dignam penitentiam suo satisfacere Creatori, si nolunt perpetuo cruciari.

17.— *De penitentiis mulierum et de modum iniungende penitentie.*— De penitentiis mulierum sic tene, in genere provideas, si est puella presertim virgo, sub potestate parentum, et affigas eam in penitentia secundum canones in ieiuniis precipue, ut domet suam carnem, ne laciviat in luxuriam. Nam luxuria mulierum fetida est, et acrior quam virorum, et ideo acrius debet deviari in abstinentia ciborum, promittendo eis spem salutis aeternae. Nam sexus mulieris potius debet moneri quam terreri, ut nostra sit absoluta sententia vel conscientia, et earum, et per se reddat rationem intentio. Item provideas si est mulier coniugata, et in eo caute imponas ei penitentiam sine scandalo viri sui, ita quod si vir fuerit absens ieiunet et affigat se quantum cum Domino poterit, secundum arbitrium tibi a Deo datum, presertim si thorum viri maculaverit per adulterium ad quod nulla conditione debuisset induci, et ita agat penitentiam, quod de cetero non mereantur vocari adultere sed caste. Nam nomen adulterium, nomen est vitii, non naturae, nam cum renuntiatur improbitati statim nascitur virtus, egressus enim vitii virtutis opera [t] ingressum. Debet ergo ei imponere penitentiam secundum canones moderando, habendo respectum ad lacrimas eius, et ad contritionem. Nam de pondere delictorum sacerdotis est iudicare, nec attendant confessionem penitentis et ad fletum, et

ad lacrimas penitentis. Quia testante beato Hieronimo apud Deum verum, non tantum valet mensura temporis, quam doloris, nec abstinentia ciborum quam mortificatio vitiorum, et ideo ex causa penitentia abbreviatur, et etiam protellatur, ita tamen, quod normam canonicam non excedas. Si vero sit vidua inquiras diligenter de circumstantiis, et cognita veritate omnis peccati secundum canones imponas ei penitentiam, moderando tamen ex causa legitima, nam pro qualitate penitentiae tempus imponitur. Veruntatem propter etatem et alia potest moderari. Punias vero viduas in oratione, et ieiunio fortius quam alias mulieres, nam orationibus, et meritis debet etiam adiuvari, maxime si de elemosinis et bonis pauperum sustentetur, tamen considerando si est talis, que non possit ieiunare, tunc tu releva eam a ieiunio et agrava eam in oratione, cum sit suum semper orare usque ad exitum vite sue.

18. — *Quot modi peccata purgantur.* — Notandum est secundum Hieronimum quod peccata tribus modis purgantur: aut donantur, aut delentur, aut teguntur. Donantur esse per gratiam baptismi, ita quod nec sentit Purgatorium si tunc moritur. Delentur etiam per memoriam sanguis crucis Christi. Teguntur igitur per caritatem interveniente cum vera contritione et confessione. Unde dicitur: Beatus qui se potest reparare post baptismum si tamen non potest confiteri per veram contritionem, dum tamen voluntatem habeat confitendi cum poterit salvus erit. Sunt tamen alia accidentia debent esse ad purgandas penalitates culpe, ut est ieiunium; nam ieiunium purgat vulnera delinquentis, et curata sanctificat, et eleemosyna, unde dicitur, pecuniam habes, redime peccata tua, dicitur etiam quod eleemosyna amnia bona perficit, iuxta illud, date eleemosyna et omnia recte munda sunt vobis. Item oratio pura et perfecta enim penitentia, sicut enim describitur a sancto Johanne Chrisostomo, dicente: In corde contrito, et ore confesso in opere tota humilitas hec est fructuosa penitentia que cogitur peccatorem omnia libenter sufferre. Item cum penitentia, non tam secundum quantitatem excessus, quam penitentis contritionem per discreti sacerdotis sit arbitrium moderanda, pensata qualitate persone super fornicatione, adulterio, homicidio, et aliis similibus, consideratis circumstantiis omnibus competens penitentia delinquentibus imponatur, prout saluti eorum videbitur expedire.

25. — *De sacramento Eucharistie.* — De sacramento Eucharistie precipimus observari, quod sacerdotes Eucharistiam in loco singulari, mundo et signato semper honorifice collocatam devote ac fideliter debeant conservare. Sacerdos etiam quilibet frequenter doceat plebem suam, ut cum in celebratione missarum elevatur

hostia salutaris se reverenter inclinet. Idem faciens cum eam portat presbiter, quam in decenti habitu subposito mundo velamine ferat, et refferat manifeste et honorifice ante pectus cum omni reverentia et timore, semper lumine precedente, cum sit candor lucis eterne, ut ex hoc apud omnes fides et devotio augeatur. Transgressores huius sancti mandati nos, dante Domino, puniemus.

26. — *Ne penitentes culpa sacerdotis sine viatico decedant.* — Corporis Domini sacramentum renatis fonte baptismatis consuetis festivitibus, et in mortis articulo post veram confessionem requisitus sacerdos tribuat, ne culpa sacerdotis penitens sine viatico decedat, quod sacramentum presbiteri tribuant, nisi in necessitate per alios viros ecclesiasticos hanc concedi volumus; et ordinamus ut quilibet fidelis christianus, postquam fideliter confessus fuerit ad minus in Pascha et Nativitate Domini reverenter singulis annis recipiat Eucharistie sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis concilio ob aliquam causam rationabilem ad tempus ab eius susceptione duxerit abstinendum. Alioquin ab ingressu ecclesie arceatur, et moriens ecclesiastica careat sepultura. Precipimus etiam ut sacerdos vinum purum habeat paratum in ecclesia, quod statim tribuat populo postquam receperit Corpus Christi. Prohibentes etiam communicantibus ne a presentia suorum sacerdotum recedant, donec de vino aliquantulum biberint, et diligenter laberint os suum.

27. — *Quod sacerdos dum debet ministrare Corpus Christi in Paschate suos moneat parochianos ne in peccato sumant, et de sanguine Christi pro inadvertentia effuso.* — Sacerdotes autem curam habentes animarum ante communicationem parochianos suos moneat publice in ecclesia, diebus illis quibus est generalis communio facienda, ne aliquis in peccato mortali constitutus occulte seu manifeste presumat accipere Corpus Christi. Et si sacerdos videat, vel sciat aliquem in peccato mortali constitutum paratum communicare, trahat ipsum ad partem, et eum secrete moneat, ne comunicet ullo modo, nisi de peccato illo confessus fuerit, et contritus dicens sibi, quod si taliter communicaret, et si sic monitus noluerit abstinere, non debet publice communicatio denegari. Si autem a solo sacerdote nemine presente communionem peteret, non est audiendus, imo repellendus. Verumtamen si peccatum est manifestum et non est de ipso vere confessus aut satisfactione condigna non fecerit debet sibi manifeste et publice denegari. Manifestum intelligimus in hoc casu, cum potest sufficienter probari et legitime per quod testes idoneos circa ipsum, precipue si de illo peccato fuerit per sententiam condemnatus, vel sponte confessus, vel fuerit adeo

manifestum vel notorium per fisicam evidentiam, quod nulla posit tergiversatione celari. Et hoc idem in osculo crucis in die veneris sancti, cum ab omnibus generaliter adoratur ducimus statuendum.

Hostias autem de puro et mundo frumento percipimus fieri. Caveat sacerdos neque de sanguine Christi extra calicem cadat, quod si per negligentiam eius acciderit, et in tabula alias tobalia stillaverit, lingua lambatur, et tabula radatur. Si vero non fuerit tabula, et in alio loco stillaverit, ut non conculcetur, radatur, et quod rasum fuerit comburatur, et cinis, si fieri potest, iuxta altare abscondatur, et quadraginta diebus ille cui acciderit peniteat. Si vero super altare stillaverit sanguis, et tangat tantum pannum primum ita quod non transeat ad secundum sorbeat minister stillam in continenti, si fieri potest, et tribus diebus peniteat. Si autem usque ad tertium pannum pervenerit novem diebus peniteat. Si ad quartum pannum pervenerit viginti diebus peniteat; et linteamina que tetigerit stilla sanguinis tribus vicibus in tribus aquis abluantur a ministro, vel diacono calice supposito, et aqua ablutionis iuxta altare recondatur. Si quis per ebrietatem vel nimiam comestionem Eucharistiam evomerit, si laycus est, quadraginta diebus peniteat, et si per infirmitatem evomerit duodecim diebus peniteat.

Si vero chrisma, vel Eucharistiam sacerdos reposuerit incaute in locis clausis non fideliter custodientibus, tribus mensibus ab officio suspendatur. Et si per eius incuria seu neglimentiam, mus vel aliquid animal illud comederit, ultra predictos tres menses quadraginta diebus peniteat. Ubi cumque autem dicitur quadraginta diebus, vel triginta seu pluribus aut paucioribus diebus peniteat, sic debet intelligi per omnes illas dies aliquam penitentiam faciat secundum arbitrium imponentis. Si vero hostia inventa fuerit sub palla altaris et dubitetur utrum fuerit consecrata, dicimus quod sacerdos in fine Misse post receptionem Sanguinis potest eam recipere. Et idem dicimus de aliqua parte Hostie, si ita inventa fuerit in altari, et dubitetur utrum fuerit consecrata.

28. — *De sacra Extrema Unctione.* — De unctione vero extrema que fit infirmis a presbiteris oleo infirmorum hic non oporteat tractare, quia de modo iniungendi penitentias infirmis in orationibus tunc dicendis instrui potest quilibet presbiter per libros ecclesiarum, veruntamen iterari potest, quoties aliquis graviter infirmatur et ab infirmo unctio postulatur.

29. — *Quod nullus celebret missam matutinali offitio non expleto.* — Quia missarum solemnitas excellens offitium est in Ecclesia Domini per confectionem Corporis et Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi que in ipsa consecrantur, debent eam omnes

presbiteri cum devotione celebrare atque honorificentia. Idcirco, prohibemus sub pena suspensionis, quod nullus presbiter mattutinali non expleto officio missam valeat celebrare. Nec etiam ipsam celebret nisi in ecclesiis per nos, vel predecessores nostros ad hoc officium ordinatis, non in oratoriis privatis nec etiam in domibus privatorum et maxime ad alium officium deputatis, sine nostri aut officialis nostri licentia speciali. Nullus etiam sine lumine missam audeat celebrare.

30. — *Quod nullus celebret Missam nisi ieiunus fuerit.* — Nullus etiam post cibum potumque quemlibet quantumcumque minimum sumptum missam celebrare presumat. Nullus absque proventu patentis molestie minister, vel sacerdos postquam cepit imperfecta officia presumat relinquere. Si quis autem hoc terminare presumpserit excommunicationis sententiam sustinebit.

31. — *Quod nullus conficiat Corpus Christi nisi in calice argenteo.* — Item nullus conficiat sanguinem Domini Nostri Jesu Christi nisi in calice aureo vel argenteo; sed si ita pauper (erit) fuerit, quod argenteum calicem habere non poterit, saltem stagnum habeat. De vitro, ligno et quocumque alio metallo calicem non habeat, nec in ipso sanguinem Domini consecret, si divinam et nostram voluerit effugere ultionem. Item precipimus, quod in calice magis de vino, quam de aqua ponatur, et utrumque necessarium est ad conficiendum verum sanguinis Domini sacramentum. Nec quisquam missam celebrare audeat seu presumat in panno grisso serico, aut tincto, sed in puro lineo ab episcopo benedicto, quia Corpus Domini Nostri Jesu Christi in syndone munda et linea sepultum fuit.

32. — *De non celebrando missam in peccato mortali.* — Prohibemus enim sub pena officii, ne aliquis in peccato mortali constitutus missam audeat celebrare, nisi prius fuerit confessus expresse de illo peccato, si sacerdotem habeat cui valeat confiteri. Si vero non possit alium sacerdotem habere cui confiteatur, non celebret nisi necessitas emineat, qui sine gravi scandalo nequeat preteriri, ut si dies festivis advenerit et populus convenerit ad divina, vel corpus alicuius parochiani sui defuncti presens sit in ecclesia, vel nubentes ad ecclesiam convenerit matrimonium tractaturi, propter quod, ut scandalum evitetur, ipsum oportet celebrare. In istis vero casibus, si veram contritionem habeat sacerdos de illo peccato mortali in quo est constitutus, et proponat quam cito poterit confiteri alii sacerdoti, quod valeat celebrare. Si veram contritionem non habeat, nec propositum confitendi, celebrare in hiis casibus non

presumat quantumcunque necessitas, vel scandalum immineat. Si autem postquam inceperit missam reducat ad memoriam se commisisse aliquid mortale peccatum de quo non fuerit confessus, et de quo antequam missam inciperet non recolebat, nec habebat sacerdotem cui in continenti valeat confiteri, perficiat ministerium iam inceptum si tamen veram contritionem habeat de illo peccato et proponat quam citius poterit confiteri. Si vero veram contritionem non habuerit nec propositum confitendi, et nondum verba confectionis seu consecrationis expresserit, scilicet, hoc est Corpus meum, dimittat officium inceptum, quia ipsum tunc complere non debet. Si autem post confectionem reducat primo ad memoriam illud peccatum mortale, indistincte compleat officium quod incepit, conteratur atque doleat quia ita tarde penitet et confiteatur quam cito poterit habere confessorem.

33. — *Quod nullus presbiter duas missas celebret in die.* — Districte etiam prohibemus ne aliquis presbiter duas missas celebret una die. In die tamen natalis Domini, idem presbiter seu sacerdos tres missas poterit celebrare, aliis vero diebus, nisi necessitate eminente, et de nostro, aut officialis nostri licentia in casibus a iure permissis, duas missas non audeat celebrare. Non tamen etiam tunc celebret, si in prima Missa post receptionem Corporis et Sanguinis Christi vini perfusionem acceperit, quia iam non presumetur ieiunus.

Quia de vita et honestate clericorum ac alienatione rerum ecclesiasticarum ac etiam de testamentis et ultimis voluntatibus satis competenter in constitutionibus synodalibus est tractatum, imo de ipso non tractamus ad presens.

34. — *De sepulturis.* — A sanctis et antiquis patribus esse noscitur constitutum, ut unusquisque sepelliatur cum suis parentibus, qui certam non eligerint sepulturam. Nulli tamen negandum est cum possit ubicumque voluerit, et discrete elegerit sepelli. Ita tamen quod si in alienam ecclesiam sepelli elegerit, et de hiis que sibi legaverit, et aliis que occasione sepulture ipsius pervenerit parochialis ecclesia, habeat canonicam portionem, videlicet quartam partem secundum consuetudinem ecclesie valentine, exceptis illis casibus in quibus pars canonica est danda. Si vero aliquis in sanitate seu infirmitate de qua non moritur intravit religionis domum aliquam se et sua reddendo non debet ecclesia parochialis de bonis illius ecclesie habere canonicam portionem. Si autem in infirmitate de qua moritur religionem intrat de bonis ibi oblatis ecclesia parochialis de qua sumptus est debet habere cano-

nicam portionem. Idem dicendus si infirmus de una parochia faciat se mutare in infirmitate ad aliam parochiam, et moritur de illa egritudine sua, ecclesia debet habere canonicam portionem. Ne autem lites ex litibus orientur sciendum est, quod si parochianus alicuius ecclesie transfert domicilium suum in aliam parochiam, et ibi moratur, erit statim parochianus illius ecclesie ad quam suum transfert domicilium, et illi ecclesie subiectus est, quo ad ius parochiale, verum quia nullus debet iurisdictionem alterius usurpare, prohibemus etiam districte ne aliquis parochianus alterius parochie recipiat[ur] ad ecclesiastica sacramenta, nisi ad baptismum et penitentiam articulo imminente, vel de licentia proprii sacerdotis.

Prohibemus etiam specialiter ne aliquis parochianum alterius in suo ciminterio sepellire presumat, nisi ibi elegerit sepulturam, quod si fecerit corpus sepultum et omnia que occasione ipsius perceperit ecclesie parochiali reddantur, nisi peregrinus fuerit vel viator de remotis partibus qui ubicumque decesserit, nisi alibi sepulturam elegerit, potest licite sepelli, nisi obstet contraria consuetudo. Si vero parochianus alterius ecclesie sive in sanitate vel infirmitate animo domicilium non mutandi, et ibi aliquo casu, sine electione sepulture mortuus fuerit, sepelliendus ad suam parochialem ecclesiam deportetur, vel sepelliatur in illa parochiali in qua est mortuus si parentes eius, vel consanguinei sint ibi, et sua parochialis ecclesia hoc duxerit concedendum. Nec illa parochialis ecclesia ubi mortuus fuerit potest querere canonicam portionem ab ecclesia parochiali ipsius defuncti de hiis que occasione sepulture vel legati pervenit ad eandem. Mulier autem constante matrimonio et etiam mortuo viro suo eligere potest ubicumque voluerit sepulturam. Si vero sine electione sepulture decesserit sepelliatur in ciminterio ecclesie parochialis, et in sepulcro viri sui si premortuus fuerit, et in eadem parochia sit sepultus.

Sunt autem quidam quibus debet negari ecclesiastica sepultura, videlicet omnes heretici, excommunicati maiori excommunicatione et interdicti. Item illi qui... mentis moriuntur. Item usurarii, et predones manifesti. Item omnes quos manifestum esse constitit in mortali peccato decessisse. Item omnes qui seipsos suspenderunt, vel se precipitaverunt aut gladio interfecerunt. Hec autem intelligenda sunt, et servanda, nisi in morte manifesta signa apparuerint, videlicet, quod peccerit presbiterum, vel penitentiam, vel alia signa penitentiae, si ammiserit iam loquelam; quia si talis erat excommunicatus vel interdictus et morte preventus non potuit absolutionis beneficium obtinere, debet absolvi post mortem; sed ab illo peccato a iudice solvetur, per quem dum viveret fuerat absolvendus, et ad

probanda signa penitentiae sufficit, ut dicunt fere omnes doctores, unus testis si plures non possunt ab hoc probandum invenire. Verumtamen signa penitentiae licet precesserint si non fuerint in infirmitate, vel mortis articulo ab aliquo absolutus, non debet ante absolutionem in cimiterio ecclesiastico sepelliri.

35. — *De decimis et primitiis.* — Quia decime tributa sunt egen-
tium animarum et eas Dominum in signum universalis dominii si-
bi reddi precepit, et non nulli layci quidem, nec eius ministros of-
fendere non verentur, decimas ecclesiis et earum clericis perversis
machinationibus substrahere moliuntur. Quidam enim ex eis se-
men et sumptus, qui fiunt in agricultura et fructibus colligendis, et
etiam servandis, dicunt primitus deducendos et de residuo impen-
dendam decimam asseverant. Alii vero de portione fructuum quam
a colonis accipiunt partem decimam separantes, eam capellanis suis,
aut aliis clericis, aut etiam pauperibus conferunt, vel in usus alios
pro sua voluntate convertunt; non nulli vitam clericorum tamquam
abominabilem detestantes decimas ob hoc substrahere non verentur.
Iniquum enim videtur, si decime quas Deus in signum univer-
salis dominii sibi reddi precepit suas esse decimas et primitias as-
severans occasione aliqua, vel excogitata fraude diminui valeant,
cum Deo debita sit solutio decimarum in tantum ut (ad) eas cle-
ricis exhibendis quibus eis pro suo cultu ipse concessit, layci si mo-
niti restituere noluerint ecclesiastica sint districtione cogendi, verum-
tamen cum tales taliter decimas. (?) Primitias retinentes si moniti
eas restituere seu solvere contradixerint cum de cunctis proventibus
decime sint reddende, et sit colonus de parte fructuum que sibi re-
manent ratione culture sit Dominus, et de portione sua quam per-
cipit ratione terre decimam sine diminutione aliqua reddere tenea-
tur, nec pretextu nequitie clericorum nequeunt eos aliis pro suo
arbitrio erogare. Cum nulli sit licitum aliena cuiquam concedere
preter domini voluntatem, neque etiam layci decimas cum anima-
rum periculo detinentes in alios laycos possunt aliquo modo tran-
ferre, et si quis eas receperit, et ecclesie non reddiderit, christiana
sepultura privetur. Decime vero et primitie sunt antequam census
vel tributa a fructibus colligendis, seu alia quecumque nullis de-
ductis expensis separentur ministris ecclesie sunt solvende. Id cir-
co presenti constitutione duximus statuendum, quod quicumque
cuiuscumque conditionis seu status fuerit et requisitus per eum
dictas decimas et primitias recipere debet, seu procuratorem ipsius,
vel etiam de mandato eiusdem, si eas infra decem dies postquam
taliter requisitus fuerit modo predicto solvere, seu restituere con-
tradixerit, vel alias occulte subtraxerit, ipso facto excommunica-

tionis sententiam incurrat, nec ad sepulturam ecclesiasticam admittatur, si sic decesserit sine nostra vel officialis licentia specialis.

36. — *Quod ecclesia petit decimam acerbi non decimati, vel a venditore vel possessore.* — Item si ille qui tenetur decimam dare vendiderat acervum bladi non decimatum, vel aliam rem non decimatam de qua decima debet solvi, potest ecclesia petere decimam a venditore si voluerit, vel etiam ab emptore, quia res transit cum onere suo ad quemlibet venditorem.

37. — *Quod si super sponsalibus aut matrimonio questio oriatur ad episcopum debet recurri.* — Item statuimus quod si super sponsalibus, vel matrimonia ac excommunicationis sententia infra diocesim valentinam in aliqua parochia aliquis casus emergerit, ad nos, vel officialem nostrum quam citius fieri poterit remittatur ut per nos, vel eum, ut debuerit declaretur.

38. — *De coniuratoribus seu conspiratoribus contra episcopum vel ecclesiam valentinam.* — Item quia coniurationum et conspirationum crimina detestabilia sunt, et ea iura canonica et civilia detestentur, multo magis in sancta Dei ecclesia, ne fiant, convenit abdicari. Presenti igitur constitutione duximus statuendum, quod quicumque clericus vel laycus cuiuscumque conditionis aut status existat de cetero coniurationes seu conspirationes et alia similia atemperare presumpserit contra episcopum, seu ecclesiam valentinam, seu eorum bona, aut etiam dedit opem vel operam, consilium, auxilium vel favorem, quod bona, iura, honorem domini episcopi supradicti et valentine ecclesie ac eius capituli minuantur, vel bona seu iura que valentina ecclesia nunc possidet seu alius pro ea malium transferantur, et quod ipsa ecclesia valentina sua possessione privetur, et qui non solum perfecerit, sed etiam atemptaverit, ipso facto sententia excommunicationis sit ligatus. Si vero clerici fuerint qui talia perpetrare presumpserint preter excommunicationis eos sententiam infames esse volumus, et omnibus beneficiis qui ob ipsa valentina ecclesia obtinet, seu pro ea, ipso facto volumus esse privatos. Statuentes preterea quod tales clerici post commissum tale crimen in ecclesia valentina numquam admittantur ad beneficia obtinenda.

39. — *De publicis usurariis.* — Item statuimus et ordinamus, quod quicumque de cetero in civitate et diocesi valentina, inventus fuerit publicus usurarius et manifestus, ipso facto excommunicationis sententia sit ligatus, nec ad ecclesiasticam sepulturam admittatur, donec de usuris ipsis prout patiuntur facultates eiusdem ple-

narie satisfactum fuerit illis quibus facienda est restitutio aut aliis secundum quod continetur in decretali de usuris: *Quamquam usurarii* etc... quam inseri volumus in constitutione presenti:

40. — *De manifestis usurariis et penis eorum* *. — Quamquam usurarii manifesti de usuris quas recipiunt satisfieri expressa quantitate, vel indistincte in ultima voluntate mandaverint nihilominus cum eis sepultura ecclesiastica denegetur, donec, vel de usuris ipsis prout patiuntur facultates eorum fuerit plenarie satisfactum vel earum satisfactionem plenariam prestiterit illis quibus facienda est restitutio, si presto sunt ipsi aut aliis qui eius vices gerenti sive rectori parochie in qua testator habitat coram aliquibus fidedignis de ipsa parochia quibusquidem ordinario, vicario vel rectori cautionem huius eorum nomine liceat presentis constitutionis auctoritate recipere. Ita quod illis provide actio acquiratur aut publico instrumento de ipsius ordinarii mandato donec idonee de restitutione fienda sit cautum. Ceterum cum receptarum usurarum fuerit quantitas manifesta illas semper in cautione predicta exprimi volumus. Alioquin aliam ipsius ordinarii arbitrio moderandam, ipse tamen scienter non minorem quam verisimiliter creditur moderetur, et si secus fuerit ad satisfactionem residui teneatur. Omnes autem religiosos, et alios qui manifestos usurarios circa presentis constitutionis formam ad ecclesiasticam admittere ausi fuerint sepulturam pene in Lateranensi concilio contra usurarios promulgate statuimus subiacere, Nullus manifestorum usurariorum testamentis intersit aut eos ad confessionem admittat, sive ipsos absolvat, nisi de usuris satisfecerint, vel satisfaciendo per suorum viribus facultatem prestiterint, vel permitant idoneam cautionem. Testamenta quoque usurariorum manifestorum aliter facta, non valeant, sed sint irrita ipso iure.

41. — *De clericis usurariis*. — Item statuimus quod clericus qui inventus fuerit fenus usurarium exercere super sortem et usuram amittat sic, quod ipsa sors fabrice ecclesie valentine aplicetur et usurario suo remaneat debitori alias pro nostro arbitrio sit puniendus, et quod nihilominus excommunicationis sententia sit ligatus.

42. — *Ne filii sacerdotum eis in missis non deserviant*. — Quia sepe ex eo quod filii sacerdotum, qui ex tam dampnato coytu procreati propriis patribus in divinis assistunt officiis, quos ad ordines et beneficia ecclesiastica sacri canones admitti et interdicut honestas ecclesie deformatur. Id circo, nos Raymundus episcopus su-

* *Liber sextus Decretalium*, V. 5, 2. Con algunas variantes y erratas en nuestro texto.

pradictum presenti constitutione duximus statuendum, quod nullus clericus in quovis ordine, seu dignitate existat filium proprium ex dampnifico coytu procreatum intra ecclesiam scienter ad altaris officium recipiat, nec assistendum, seu sibi serviendum in ecclesia, dum ibidem divina officia celebrantur, qui vero contrarium fecerit ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.

43. — *Quod nullus nisi episcopus alicui curam animarum committere possit.* — Cum ad episcopi officium, et nullum alium seu alii de iure in sua diocesi pertineat curam committere animarum, id circo nos Raymundus episcopus supradictus presenti prohibemus edicto, ne aliquis archidiaconus, decanus, seu quivis alius prelatus, rector vel vicarius possit alicui sacerdoti infra civitatem et diocesim valentinam sine nostra licentia, vel officialis nostri curam committere animarum. Quod si quis contrarium fecerit seu duxerit faciendum, quod factum fuerit non valeat, nec ille cui per tales contra prohibitionem presentem animarum cura taliter commissa fuerit valeat absolvere, vel ligare, nisi necessitate cogente, qua cessante, cesset comissi facultas.

44. — *De congruenti tonsura defferenda.* — Prelatorum excusatio non admittatur apud Dominum si solum instruant subditos nisi eos puniant cum fuerint transgressores. Id circo, nos Raymundus, episcopus supradictus attendentes, quod constitutio, quam dominus Andreas¹ bone memorie episcopus valentinus olim edidit videlicet, quod clerici civitatis et diocessis valentine comam, et tonsuram congruentem haberent per abusum aliquorum quasi penitus inolevit, ipsam viribus omnino carere. Statuimus, quod quicumque de cetero clericus inventus fuerit contra formam ipsius constitutionis coronam, vel tonsuram habere, ipso facto penam viginti solidorum incurrat fabricae sedis valentine applicanda, quos qui non solverit intra dies decem requisitus, sententiam excommunicationis incurrat.

45. — *Quod de bonis ecclesiasticis non emantur bona immobilia pro filiis presbiterorum fraudulenter.* — Item cum iam statutum sit, quod clerici civitatis et diocesis valentine de bonis ecclesie cui presunt aliqua bona immobilia non emant ad opus filiorum suorum, eidem constitutionis adicimus quod idem de quibuscumque personis aliis in fraudem et preiudicium ecclesie ducimus statuendum.

A la muerte del obispo Despont el Cabildo eligió para sucederle al diácono y también canónigo de Valencia Don Ramón Gastón, natural de Millà, en el abadiazgo de Ager, obispado de Lérida. El acta de su elección, que es curiosísima por los detalles que nos da acerca de las costumbres y formalidades que se usaban en estos actos, se conserva en el archivo de la Catedral (número 0572). Fué hombre de gran fama en virtud y letras, e instituyó la càtedra de teología, que quiso regentasen los dominicos, siendo uno de ellos S. Vicente Ferrer. Gobernó la Iglesia valentina desde 1312 a 1348, y celebró un sínodo el 8 de abril de 1320, cuyas constituciones todavía inéditas, fueron las siguientes, que tomamos del ms. de los "Clavos":

INCIPIUNT CONSTITUTIONES SYNODALES DOMINI RAYMUNDI GASTONIS, EPISCOPI VALENTINI.

Anno Domini MCCCXX, feria quarta qua cantatur "Quasimodo geniti", videlicet VI idus aprilis, Reverendus pater et Dominus Dominus Raymundus, divina providentia episcopus valentinus, in valentina ecclesia sanctam synodum celebrantes, sequentes constitutiones quas de consilio et assensu sui venerabilis capituli fecit in dicta synodo publicari.

I. — *De tempore celebrandi Synodum diocessanum.* — Quia per diversas constitutiones olim per predecessoris nostri Raymundi de Ponte divina miseratione episcopi valentini editas, invenimus quod dies in quo synodus celebratur in valentina ecclesia diversimode variatur. Cum alicue constitutiones feria tertia post festum sancti Luce et alicue feria tertia post dominicam qua cantatur "Quasimodo geniti" statuunt celebrari, propter quod de ipsa die inter rectores ecclesiarum civitatis et diocesis verosimiliter dubitatur. Nos volentes, ne ex tunc in incertum circa predicta vagetur. Statuimus [et] de consilio venerabilis nostri Capituli ordinamus quod de cetero sancta synodus in valentina ecclesia feria tertia annuatim post dominicam qua cantatur "Quasimodo geniti" celebretur, cum ipsum tempus sit magis expediens rectoribus, et conveniens pro synodo supradicto, qua die universi et singuli rectores et vicarii ecclesiarum civitatis et diocesis predictarum venire habeant anno quolibet ad eorum sedem valentinam pro synodo celebrando sub pena XX solidorum, quam non venientes incurrere volumus ipso facto, nisi

a nobis contrarium receperint in mandatis, vel nisi fuerint canonica prepetitione impediti de qua fidem nobis facere habeant, vel in nostra absentia illi qui pro nobis dictam synodum celebrabit. Et quod nullus sub pena predicta recedere audeat donec synodus finita fuerit, et tunc etiam de licentia nostra seu illius qui ibidem fuerit loco nostri.

2.—*De rebus quas rectores moriente tenentur dimittere ecclesiis suis.*—Item quod per frequentem clamorem ad aures nostras pervenit, et facti experientia nos docuit, quod nonnulli rectores civitatis et diocesis valentine qui diem clausurunt extremum volendo nimis stricte observare seu tenere privilegium eis per bone memorie Dominum Jazpertum predecessorem nostrum concessum, quod possint de bonis mobilibus que etiam intuitu sue parochie testari et ordinare pro salute animarum eorundem adeo in suis ultimis voluntatibus ipsas ecclesias quibus longo tempore prefuerunt, et a quibus multa bona receperunt bonis ipsis mobilibus spoliaverunt, quod non potuit reperiri ubi vinum reponeretur, ac oleum seu alii redditus eorundem, et ex hoc volentes ne propter abusum permissionis gratie seu indulgentie predictae parochiales ecclesie vasis vinariis et oleariis ac banchis et tabulis omnino priventur, statuimus et de consilio venerabilis Capituli perpetuo ordinamus quod rectores et vicarii perpetuo ecclesiarum civitatis et diocesis valentine qui nunc sunt, aut pro tempore fuerint habeant et teneantur de necessitate dimittere futuris successoribus omnia vasa vinaria et olearia, banchos, tabulas que habeant tempore vite sue, et hoc absque omni fraude, que omnia ipsi successores dimittere et observare futuris eorum successoribus teneantur et sic de successore ad successores perpetuo observetur, quod si successores vel rectores vinientes vel qui de cetero fuerint predicta facere recusaverint, ordinamus quod de bonis ipsorum predicta ad notitiam nostram seu officialis nostri emanantur ordinatione per ipsos facta, in aliquo non obstante, in ceteris autem in prefata constitutione seu privilegio domini Jazperti contentis non intendimus aliquid immutare, imo ipsam, et contenta in ea, in omnibus et per omnia ex certa scientia confirmamus.

3.—*De spatula nubentium.*—Item quia visitationis officium in ecclesiis diocesis nostre exercentes invenerimus, quod nonnulli rectores seu vicarii dictarum ecclesiarum in recipiendo spatulam ab olim ipsis rectoribus dari ex quadam laudabili consuetudine consuetam per nubentes in parrochiis eorundem diversimode se habeant propter quod inter ipsos et eorum parrochianos rancores orieban-

tur et odia. Nos volentes utiliter providere predictis, statuimus quod si rectores vel eorum vicarii pro faciendis sponsalibus parochianorum suorum accedere habuerint ad domum nubentium seu alterius eorundem, cum decens sit, et consonum rationi quod qui ad onus eligitur repelli non debeat a mercede. Si vero nubentes ad ecclesiam venire voluerint pro sponsalibus antedictis faciendis, in hoc casu ipsi rectores seu vicarii vel pro ipsa spatula exhigant seu recipiant nisi illud quod eis gratis voluerint exhibere.

4. — *De albarano nubentium.* — Item quia super satisfactione quam rectores seu eorum vicarii petunt pro albarano testimoniali quod faciunt parochiano suo, vel eorum in alia parochia nubenti, ipsi rectores seu vicarii modum excedunt, propter quod per ipsos laycos querela ad nos frequenter pervenit. Statuimus quod ipsi rectores seu vicarii pro unoquoque albarano ipsis nubentibus faciendis recipiant ratione laboris ipsius, et ratione oblationis quam inde haberent si in ipsorum ecclesiis uxorem ducerent duodecim denarios, et non ultra, et hoc sub pena quinque solidorum, quam ipsos incurrere volumus, si contrarium fecerint, ipso facto.

5. — *De lectis dimittendis de bonis rectoris decedentis.* — Sacris noscitur canonibus institutum consuetudo quam ecclesie hoc approbat generalis, quod rectores et alii beneficia obtinentes, quibus cura imminet animarum ad hospitalitatem decentem, et congruam prout eis suppetunt facultates obligantur. Episcopos et ceteros prelatos quibus officium, competit visitandi, iuxta statum visitantium et visitorum recipere, et procurare ac tractare tenentur. Unde cum plene informati fuerimus quod nonnulli rectores ac vicarii perpetui ecclesiarum parochialium civitatis et diocesis valentine per mortem cessionem, vel alias ipsas ecclesias dimittentes, sic easdem ecclesias pannis et paramentis lectorum spoliant quod successores non inveniunt in quo iaceant, vel hospites, aut vissitatores recipiant, ut dictum est, sed habeant in aliorum hospitii habitare. Id circo volentes huic morbo convenientem adhibere medellam, nos episcopus supradictus, sic de consilio et concensu capituli valentini ducimus statuendum quod amodo cedentibus aut decedentibus rectoribus ecclesiarum parochialium civitatis vel diocesis predictarum seu perpetuis vicariis earundem, vel alias ipsas ecclesias dimittentibus, causa permutationis excepta, si earum ecclesie valorem centum librarum regaliū communi extimatione excesserint de bonis ipsorum rectorum vel vicariorum predictorum cedentium, decedentium vel alias ipsas parochiales ecclesias dimittentium, pro lectis et paramentis eorum quindecim libras regaliū

Valentie quilibet sucesor in ipsam ecclesiam relinquere teneatur. Si vero summam centum librarum non excesserit, sed communi estimatione valoris fuerit centum librarum solum vel etiam minoris usque ad LXXV libras dicte monete, XII libras. Si vero fuerit valoris LXXV vel minoris usque ad L libras dicte monete, X libras. Si vero L vel minoris usque ad XXX libras, solum VII libras dicte monete. Si vero XXX libras, centum solidos dicte monete dimittere teneatur sucesori in ipsa ecclesia, vel lectos et paramenta lectorum, valentes dictas quantitates prout superius est distinctum. Si autem fuerit minoris valoris XXX librarum, arbitrio nostro et sucesorum nostrorum vel officialis valentini relinquatur. Adicientes quod si beneficiati predicti, predictas summas sive lectos neglexerint relinquere prout superius est provide constitutum, nihilominus sucesores eorum summas predictas, de bonis suorum predecessorum sive alias dictas ecclesias, ut predicatur dimittentium exhigere valeant, et habere convertendas in ussus lectorum, et eorum paramentorum, prout est superius ordinatum. Adicientes etiam quod si sucesores dictorum beneficiorum in exhigendis quantitatibus predictis negligentis reperti fuerint vel remissi, vel si postquam quantitatem contingentem eorum, quemlibet de bonis suorum predecessorum, sive alias, ut predicatur ipsas ecclesias dimittentium obtinuerint intra duorum mensium spatium in usus predictos convertere neglexerint, ut districtius presens constitutio valeat observari ad arbitrium episcopi valentini vel eius officialis gravius puniatur. Per presentem etiam constitutionem nolumus, neque intendimus aliis constitutionibus dicte ecclesie in aliquo preiudicare vel etiam derogare.

6. — *Quod mortuo rectore vel vicario qualiter providendum sit de sucesore et idem de capellanis et qualiter fructus dividi debeant.* — Olim a predecessoribus nostris fuit provide constitutum decedentibus ecclesiarum rectoribus, quid super provisione sucesoris agendum existat. Verum quia, prout facti experientia edocuit, nostris temporibus super dictis constitutionibus fuit aliquantulum dubitatum. Propterea volentes omnem ambiguitatem a dictis constitutionibus amovere, considerantes constitutionem provincialem ecclesie tarraconensis que incipit: *Ut hii quibus* etc., super provisione dictorum sucesorum dilucide providisse. Igitur, nos dictus episcopus de consilio et consensu nostri capituli prefatas constitutiones dictorum predecessorum nostrorum, quarum una incipit: *Jazperius* etc., alia vero incipit: *Quia per frequentem* etc., in ea parte earum in qua provisionem sucesoris rectoris vel vicarii perpetui decedentis est cautum per omnia ad provincialem consuetudinem tra-

himus, volentes, quod de cetero super provissione sucesoris decedentis rectoris vel vicarii perpetui fiat prout in dicta provinciale constitutione cavetur. In capellaniis vero Sedis, et ecclesiarum civitatis et diocesis valentine sic duximus statuendum, quod quandoque eas per mortem, renuntiationem, permutationem, vel alias vacare contigerit inter predecesorem vel alias ipsam capellaniam dimittentem, et successorem, si redditus et censualia dividantur, videlicet, quod computentur fideliter omnes redditus et censualia capellanie totius anni quo vacaverit, qui annus incipiat in kalendis maii et dividantur inter predecesorem vel alias capellaniam dimittentem et successorem pro rata temporis illius anni quo quilibet ipsius capellanie fuit beneficiatus. Ita quod redditus sive censualia ipsius capellanie qui fuerint prima die... tempus et servicium ipsius capellanie.

7. — *De capis in choro tenendis et de recusantibus eas tenere.*
— Item etiam statuimus quod clerici quibus commisse fuerint capserice in choro teneantur eas etiam tenere mane sequenti dum invitatorium in matutinis dicitur: adicientes, quod si illi quibus succentor ipsas capas comisserit eas tenere modo premissis recusaverint, item illi quibus succentor lectionem, responsorium, vel antiphonam, vel alia que tangunt divinum officium intus chorum comiserit, nisi ea prout comissum fuerit adimpleverit cum effectu, pro qualibet vice penam duorum denariorum que illico ornamentis ipsius ecclesie acquiratur nisi aliquo iusto impedimento fuerit impeditus.

8. — *De redditibus acquirendis fabrice sedis valentine propter vacationem.* — Cum pie desiderium voluntatis sacerdotis sit semper studiis adiuvandum. Igitur nos episcopus memoratus de consilio et ascensu venerabilis Capituli nostre ecclesie valentine ad honorem Dei, et faciliore expeditione fabrice nostre supradicte sic duximus ordinandum, quod amodo vacantibus ubicumque dignitatibus, personatibus, prebendis, preposituris ipsius ecclesie, rectoriis et vicariis perpetuis ac aliis beneficiis quibusvis dicte ecclesie vel diocesis, dummodo beneficia simplicia non fuerint etiam pro defunctis instituta, vel etiam per permutationem vacantia, si taxata in decima fuerint, habeat fabrica dicte ecclesie primo anno vacationis taxationem pro qua decimam solvere consueverunt. Si vero non fuerint in decima taxata habeat dicta fabrica fructuum et reddituum primi anni medietatem. Adicientes quod si dignitates, personatus, preposituras, prebendas vel alia beneficia superius specificata quis forsan ex collatione apostolica obtinuerit, eo casu medietatem taxe solum prefate fabrice solvere teneatur. Ac volentes, quod si quis per

expectationem specialem vel alias, excepta collatione papali, ut preferatur aliquod de predictis beneficiis obtinuerit premisse fabricae integra taxa sine diminutione aliqua acquiratur.

9. — *Quod rectores vel vicarii possint sepelli intra suam ecclesiam.* — Statuimus insuper et ordinamus nos dictus episcopus de consilio nostri venerabilis capituli supradicti, quod quilibet rector seu vicarius perpetuus ecclesiarum civitatis et diocesis predictarum dum eos diem claudere extremum contigerit, possint sepelli et tumulari intra suam ecclesiam, cuius rector vel vicarius existerit.

10. — *De pensione danda substitutis beneficiorum seu capellaniarum.* — Item cum in deservendis capellanis seu aliis beneficiis in eadem ecclesia institutis, quorum beneficiati causa studiorum vel alias a dicta ecclesia sunt absentes, certus ordo retroactis temporibus non extiterit observatus ex quo ut in pluribus quandoque capellanie ipse, seu beneficia ipsa circa servitium divinum, et quocumque ipsorum capellani seu beneficiati in perceptione redditum capellaniarum, seu beneficiorum huiusmodi contigerit defraudari. Statuimus et ordinamus ut talibus defraudationibus obvietur, quod de cetero nullus sacerdos pro servitio alicuius capellanie, seu beneficii in eadem ecclesia instituti, nec magis nec minus recipere audeat nisi XV libras barchinonenses, ita tamen quod de dictis XV libris, nisi capellania vel beneficium huiusmodi maioris valoris XV libras existerit non minoris valoris idem sacerdos deserviens eidem capellanie seu beneficii quelibet onera habeat supportare. Si vero tale beneficium deserviens pro rata temporis secundum magis et minus capellaniam seu beneficium huiusmodi facta compensatione reddituum habeant, supportatis oneribus rate temporis et non alias, neque ultra laudabiliter deservire. Si quis autem contrarium fecerit penam C solidorum operi ecclesie applicandorum, ipso facto incurrat.

11. — *Quod curati non accomodent pallia sive pannos pro parteris sive aliis usibus laycorum.* — Item cum ex certo nobis constet quod rectores, vicarii perpetui seu regentes curam animarum in ecclesiis civitatis valentine accomodant pallia sive pannos aureos sive sericos in sponsalibus matrimoniis seu parteris pro cameris sive palaciis empalliandis, propter quod ipsa pallia sive panni dirumpantur, lacerantur et sordidantur, et nos volumus super hiis de salubri remedio providere. Igitur nos supradictus episcopus de consilio nostri Capituli supradicti, statuimus et ordinamus quod de cetero dicti rectores, vicarii perpetui et regentes curam animarum in ecclesiis supradictis seu quicumque alii non accomodent nec...

12. — *De beneficiis instituendis.* — Cum iuxta canonica instituta beneficia debeant esse talia ex quibus in eisdem intitulati congrue valeant sustentari, ne in cleri opprobrium eosdem intitulatos oporteat mendicare, sic ducimus statuendum quod de cetero quicumque in sede valentina voluerit aliquo beneficium dotare, non admittatur ad talis beneficii dotationem nisi redditus ipsius beneficii ad minus summam XX librarum regalium Valentie attingat. Et quod nihilominus teneatur his qui tale beneficium instituere, seu dotare voluerit perpetuum in eadem ecclesia anniversarium L solidorum dicte monete. Adicientes etiam quod in aliis ecclesiis civitatis vel diocesis non admittatur nec admitti possit institutio alicuius beneficii nisi saltem summam XV librarum attingat predictae monete, et ultra hoc tale beneficium instituens teneatur institutere unum anniversarium per modum qui sequitur, videlicet si predictum beneficium in civitate Xative instituatur, quod instituens teneatur institutere anniversarium XXX solidorum dicte monete. Si vero in Murroveteri vel in loco de Algezira, XX solidorum monete predictae. Si in aliis locis, sive ecclesiis civitatis vel diocesis valentni, X solidorum anniversarium institutere teneatur.

13. — *Quod quilibet presbiter alteri presbitero confiteri possit.* — Ut misse cum purgata consciencia celebrentur et ne propter defectum confessoris eas omitti contingat, indulgemus, quod quilibet presbiter volens missam celebrare, si non habeat copiam proprii sacerdotis, seu confessoris, possit cuilibet presbitero idoneo sua confiteri peccata, et absolutionis beneficium recipere ab eodem.

José SANCHIS SIVERA